

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 232

**Autre(s) référence(s) :** Tabuteau 484a

**Auteur(s) :** Philippe Ier, France (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Le Bec-Hellouin, Notre-Dame (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** diplôme

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1077

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Philippe Ier confirme toutes les donations à faire dans l'étendue de son royaume à l'abbaye du Bec. Il concède à celle-ci l'église Notre-Dame de Poissy et l'église de Meulan. Il confirme l'abandon de droits de transit consenti par le comte Simon et ajoute que rien ne sera perçu en son nom, ni à Mantes ni à Pontoise, sur les choses appartenant aux moines du Bec.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Prou Maurice, *Recueil des actes de Philippe Ier, roi de France (1059-1108)*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1908, n° XC, p. 232-234.

Texte établi d'après a

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti amen. Usu et auctoritate majorum prudenter utiliterque sancitum est ut quod majores rationabiliter constituunt scripturæ testimonio ad successorum notitiam memoriæ commendetur, ne, quod prudentiæ benignitatisve consilio conficitur, ignorantiae vel malignitatis temeritate dissolvatur. Hac igitur consideratione ego Philippus, Dei dispositione, a quo omnis potestas secundum apostolicam auctoritatem ordinatur, rex Francorum constitutus, hoc quod Beccensi monasterio sanctæ Dei genitricis virginis Mariæ, ex mea benignitate, pia et rationabili intentione concedo, præsentis scripti adnotatione, successorum meorum et eorum et omnium, ad quorum notitiam hoc aliquando opus erit pervenire, cognitioni intimo, ne, quod tam rationabili pietate datur, alicujus impietate auferatur. Si enim cum homini dantur rationabiliter quæ sua noverant, jure legum et usu populorum stabiliter possidentur, multo magis cum Deo, a quo omnia sic accipimus ut tamen sua permaneant, aliquid de suo, quod ipse nobis concesserat, a nobis confertur, immutabili stabilitate et stabili firmitate, omnium fidelium spontaneo consensu, juste rationabiliterque confirmatur. Anno igitur ab incarnatione Domini 1077, indictione quinta decima, inspirante gratia illius qui nos dixit sine se nichil posse facere, concessi præfato cœnobio, pro meorum omniumque huic meæ donationi faventium remissione peccatorum et retributione regni cælestis, ut, si quid unquam in regno cui mea præest auctoritas a quocumque datum fuerit eidem ecclesiæ, donum illud, regis concessionem roboratum, inviolabiliter teneat in omni tempore firmitatem ; quam concessionem a nostris successoribus sic rogando statuimus et statuendo rogamus suis temporibus ad similitudinem nostræ piæ largitionis observari, sicut ipsa dona et statuta sua a suis successoribus nullatenus volent perturbari, quatinus, si qua michi apud divinam clementiam bona pro hac elemosina recompensanda reservantur, ipsi nobiscum eorum esse participes mereantur. Testes : Guido, Belvacensis episcopus ; Hugo, comes de Mellento ; Ivo, comes de Bellomonte ; Hugo

de Claromonte ; Hugo de Puiset et Guillelmus, filius ejus ; Goisfredus de Calvomonte ; Lancelinus et Rodulfus... ; Guido de Roca.

Dedi etiam eidem cœnobio ecclesiam sanctæ Mariæ de Pexeio cum omnibus pertinentibus ad eam, et terram juxta ipsam ecclesiam ab aquilone, in qua domus

erat... ad habitationem monachorum, cum pomario meo, quatinus deinceps in perpetuum sint juris ejusdem monasterii sub libera potestate abbatum ejus. Testes : Yvo, comes de Bellomonte ; Adam de Insula ; Lancelinus, filius Fulconis Belvacensis ; Rodulfus, filius Goscelini Belvacensis ; Herveus de Montemorenceio ; Goslinus, filius Goslini de Leuguis.

Dedi etiam ecclesiam de Mellento, in qua canonici Deo deserviebant, eidem monasterio similiter, sub libera potestate abbatum ejus in perpetuum mansuram. Testes : Paganus, vicecomes de Mellento ; Lambertus de Ruolio ; Girolodus de Girarchiis ; Robertus de Botoncourt ; Tedwinus de Morenviller ; Simon de Nielfa.

Concessi quoque hoc quod comes Simon dederat et in ea donatione perpetuum esse constitui, ut de rebus ejusdem monasterii apud castrum Meante pro transitu, sicut de rebus aliorum solet fieri, nichil penitus, quantum ad me attinebat, accipiatur. Si quis eorum, ad quos aliqua portio ejusdem redditus de præfato transitu attinebat, eam concedere eidem monasterio voluerit, mea concessione perpetuum stabiliatur. Dedi etiam ut de rebus ejusdem monasterii apud castrum Pontis Isarae nichil vel pro transitu vel p[ro]... aliqua consuetudine publicæ exactionis accipiatur. Testis Almarricus de Ponte Isarae. Idipsum concessi de Pexeio. Testes : Willelmus Calvus... S. + Philippi regis.